

BREVARIUM

PHILOSOPHIÆ

SCHOLASTICÆ

III

IMPRIMATUR

Saneti-Deodati, die 3^a augusti 1863.

† LUDOVICUS-MARIA.

Episc. Sancti-Deodati

Posita licentia D. Illust. ac reverendissimi episcopi
Saneti-Deodati, imprimatur.

Rhedenis, die 26^o septembbris 1867.

† G., *Arch. Rhedenensis.*

REIMPRIMATUR

Saneti-Deodati, die 18^a augusti 1877.

† MARIA-ALBERTUS.

Episc. Sancti-Deodati.

BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ
SCHOLASTICÆ

AUCTORE

EUGENIO GRANDCLAUDE

DOCTOR IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO, PHILOSOPHIE
PROFESSORE

Editio nova, aucta et emendata

TOMUS TERTIUS

ETHICA CUI ACCEDIT HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ SYLLABUS.



PARISII

SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, via Cassette, et via Rhedenensi, 73.

BREVIARIUM
PHILOSOPHIÆ
SCHOLASTICÆ

TERTIA PARS SEU ETHICA

COMPLECTENS

JUS NATURÆ PRIVATUM ET PUBLICUM

1. — *Definitio.* — Ethica suam habet appellationem a voce graeca ἕθος, quæ mores seu consuetudinem significat; mores enim sunt propensiones aut nobiscum natae aut usi frequenti comparatae. Ethica ergo, juxta vim vocis spectata, est hæc disciplina qua in comparandis per assuetudinem optimis moribus versatur: itaque, significatione consimili, *disciplina moralis* latine vocatur.

Ad definitionem realem quod attinet, Ethica stricte describi potest: *Scientia practica, quæ actus humanos ad honestatem dirigit.*

1° Est *scientia*, quia rectitudinem regularum, quas tradit, demonstrat. Verumtamen est etiam ars, quatenus tradit normas recte vivendi, ac proinde quibus actio humana ad debitum finem dirigitur (I, 15): itaque, quatenus regulas prescribit, est ars; et quatenus eisdem demonstrat, habet rationem scientie.

2° *Practica*, siquidem in mera sui objecti contempla-

tione non conquiescit, sed tota est in tradendis regulis quarum ad normam voluntatem in agendo dirigit.

3^o *Quæ actus humanos*, qui constituent objectum materiale Ethicæ : hic agitur de actibus humanis propriis dictis, nempe qui ab homine procedunt cum rationis advertentia, ac proinde quatenus distinguuntur ab actibus indeliberatis homini : hic materialiter tantum, non autem formaliter, homini, ut enti rationali, convenient; dicuntur *actus hominis*, non autem *actus humani*.

4^o *Ad honestatem dirigit* : id se referat ad objectum formale. Est simul finis, non quidem ultimus, qui habet tantum rationem finis externi et remoti respectu moralis disciplinae, sed finis internus et proximus, qui, in disciplinis practicis, ab ipso objecto non discrepat.

Ex hac definitione sequitur: a) *actus humanos bifurciam considerari posse*, nempe materialiter, scilicet in sua entitate sollempnitate, abstractione facta honestatis vel rectitudinis : haec entitas dicitur *esse physicum actus humani*; formaliter, id est, præ illa honestate seu rectitudine, que, *esse morale* actus humani constituit. Haec distinctio est eadem ac illa quam afferunt theologi, et speciatim D. Thomas, quum docent actum humanum spectari posse in genere nature et in genere morum. Hic presertim sub altero respectu consideratur. Sequitur b) : *summa Ethice utilitas et necessitas* : que enim major utilitas ac necessitas quam scire proprias et aliorum hominum actiones ordinare invicem et ad finem.

2. — *Divisio*. — *Ethica duplex distinguuntur*: a) *divina* una et *supernaturalis*, que est *theologica*, atque *infuso* divinitus fidei lumine cognosci potest et obtinetur; humana altera et *pure naturalis*. De hæc secunda unice agitur in philosophia, seu de illa, qua ingenii humani viribus comparatur et obtinetur.

b) *Ethica naturalis* dividit solet, et merito in *generalem* et *particulariem seu specificam*. *Ethica generalis* est illa disciplina moralis pars que hominem dirigit ad honestatem in genere, abstractendo à qualibet vita statu, et cujuslibet conditionis professione, aut a quacumque relatione particulari ad alterum: proprie et directe ordinat *actiones ad finem*.

Particularis seu specifica est haec pars que homines peculiariter conditioni devotos, aut præ aliqua relatione ad alterum consideratos, ad ea omnia que illius status aut relationis decent perfectionem dirigit. Itaque presertim et directe ordinat *invicem* *actiones humanas*.

Propterea præsens nostra tractatio in duplice partem distribuitur, scilicet in *generalem* et *specialiem* Ethicam.

c) Ab hac divisione non valde ab ludit altera, que apud scholasticos erat vulgatissima, atque in Ethica distinguuntur tres partes, 1^o *monasticam*, que considerat operationes uniuscuius hominis ordinatas ad finem, 2^o *economiam*, que considerat operationes multitudinis domesticæ, et 3^o *politicanam*, que versatur circa operationes multitudinis civilis. Monastica idem est ac generalis, et economicam ac politicam complectitur particularis.

Nomini philosophi Moralem humanam in *Ethicanam* proprie dictam et *Jus naturae* pertinet; at haec divisio in eorum mente non est diversa ab illa quam, post veteres, attulimus, que, saltem quad appellations spectata, ab aliqua prava Rationalistarum ratione loquendi magis dissentit. Recentiores enim Rationalistæ unanimi fere consensus distinctionem Morali a Jure generativi inspecto non modo nimium amplificant, sed in plenam separationem et independentiam convertere satagunt. Ethica, juxta ipsos, actiones internas, que conscientie ambitu tantum continentur, unice regret, dum ius operationes externas que in mutua hominum relationibus versantur, ad aquitatis normam exclusive exigunt, et quidem juxta regulas principiis Ethice minime obnoxias: hinc jus universum sumptum ordinis morali penitus subtrahetur.

Verum 1^o ab Ethica certo non potest separari jus, quo cumque modo spectatum; utriusque enim discipline idem est objectum materiale, actus humani scilicet, et idem objectum formale, hoc est, directio actuum ad debitum finem, secundum aquitatis normam.

Sed 2^o ambae discipline possunt, methodi causa, distinguiri: objectum materiale proprium et directum Moralis, universum sumptus, sunt *actus interni*, dum objectum materiale proprium et directum Juris, adequate spectata, sunt *actus externi*. — Preterea objectum for-

male proprium et immediatum Ethicæ est directio subjectiva intentionum, dum objectum formale immediatum et speciem Juris est directio objectiva operationum exteriarum; sed cum actus internus nullo pacto separari possit ab actu externo, fit 1º quod ambae disciplinae sint individualia comites, 2º quod Moralis præstet, utpote fons Juris et latitudine sua istud complectens.

Verum cum hic agatur unio de Jure naturali, cuius pronuntiata ab interno rationis lumine, naturaliter indito, proficiuntur, distinctio est fore nullius momenti: *Jus naturæ* itaque Ethicæ speciali, sine dispensio doctrine, assimilari potest et exinde definiri: *Scientia practica actus humanos, qui ordinare ad alterum dicunt, ad aequitatem normam exigens.*

3. — *Ratio philosophandi* superioris declarata (I, 5 Thes. 3^o, 6) est maxime applicanda Ethicæ: itaque omnino insistendum est in doctrina morum ab ipsa Ecclesia probata et quam communiter Patres et Scholastici tradididerunt, spreta, rejecta et confutata *moralis independentia* quam recentiores philosophi, vestigis protestantium insistentes, summis laudibus extollunt (1). Ex facto jam constat et ex dicendis patet quod *integra* doctrina morum a doctrina revelata non regulata et adjuta, imperfecta est et multis erroribus obnoxia.

2º Rationalistæ dum in re morali non securi ac in doctrinis speculativis se jugo fidei et Ecclesie exsere volunt, ad crassissimum empirismum confluunt, atque cum Pufendorfio ad anatomen, physiologiam et medicinam recurserunt seu ad experimenta physica, ut Ethica *independens* quandam normam objectivam habeat et fuenta principia, quorum ope dignitatem scientiae nascientur. Inde, juxta nominales eorum, « omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cunulandis et augendis quovis modo divitis ac in voluptibus expundiis (2). »

b) Aliqui auctores catholici, placiti rationalistarum plus sequo indulgentes, etiam in *subsidiis scientie* moralis advocant medicinam, anatomie, etc. Contra illos hic

adnotandum est quod, si Ethica consideratur quoad suum objectum formale, inutilis plane est humani corporis analysis et quolibet experimentum physicum: nam objectum formale sunt actiones humanæ quatenus ex voluntate deliberata procedunt secundum regulam morum. Porro actiones, sive sumptæ, non a corporis humani constitutione, sed a libera voluntate dependent. Physiologia forsitan ostendit hunc hominem præ alio ad iracundiam vel concupiscentiam inclinatum esse: sed haec dispositio physica ad lineam moralem non spectat, nisi accidente consensu vel dissensu voluntatis.

Remanet ergo ut accidentaliter tantum prædictæ scientie auxilium præstent morali, quatenus varia corporis dispositio et temperamentum diversimodo disponunt ad actiones morales. Itaque ad objectum materiale tantum spectant, et quidem accidentaliter. Igitur quam absurdâ et perversâ sit ratio philosophandi rationalistarum in re morali, nemo est sane mentis qui non videat.

3º Rationi philosophandi rationalistarum omnino contrarius est error Traditionalismi qui principia Ethicæ naturalis ab externo magisterio societatis, ope revelationis divinae, unice repetit. Traditionalistæ ergo non habent revelationem ac fidem, ut quandomam regulam externam et superiorem, ut vult sana doctrina, sed ut fontem proprium ex quo haerentur principia Moralis naturalis, quae proinde esset scientia revelata.

(1) Syllab. Prop. III, IV, V, LVI, LVI.

(2) Syllab. Prop. LXVIII.

PRIMA PARS

ETHICA GENERALIS

4. — Scientia est cognitio per causas seu per principia, ideoque nisi aliquis rei principia deprehendantur, hujus rei natura nullatenus scientifice innotebit. Ergo ad cognitionem scientiam actuum humanorum, qui consti-
tuunt objectum materiale Ethicae, eorum principia sunt investiganda.

Principium dicitur id a quo aliquid quocumque modo consequitur (I, 333). Itaque actuum humanorum principia dicuntur ea omnia quae ad operationes humanae existen-
tiae concurrunt. Illa principia quae ad productionem actus moralis conferunt, sunt vel *elictiva*, seu productiva ipsius actus humani in *suo esse physico* (2), vel *directive*, nempe determinativa actus humani in *suo esse morali*.

Principia efficientia sunt aut ipsius cause efficientis fa-
cultates, aut quidquid facultatem naturaliter perfect in
ratione cause efficientis; principia directive sunt id ipsum
quod exhibet normam qua diriguntur actus humani ad
honestatem. Hic duplex ordo principiorum respondet na-
ture actus humani adequate sumptu. Itaque prima pars
Ethicae distribui debet in duplex caput: primum erit de
principiis elictivis esse physicum actus humani, quod lo-
gice procedit esse morale, resipientibus; alterum erit
de principiis directivis, quae ad esse morale actus humani
spectant.

CAPUT I

DE PRINCIPIIS ELICIENTIBUS.

5. — Haec principia sunt voluntas libera atque virtutes et vitiia quibus voluntas promptior, proclivior et expedi-

tior fit ad actus determinatos producendum: hinc praesens caput distribuitur in duos articulos: 1^o erit de voluntate libera; 2^o de virtutibus et vitiis.

ARTICULUS I.

De voluntate.

6. — Voluntas considerari potest 1^o quatenus vult, nempe abstractione facta libertatis, que non se refert unice ad voluntatem, siquidem ejus causa est ratio, et subjectum voluntas (II, 303); 2^o quatenus libera, nempe in quantum seipsum determinat cum potentia ad oppositionem. Itaque agemus 1^o de voluntario simpliciter sumpto; 2^o de libero, quod est aliud voluntarium sub peculiari ratione inspectum, indeque secundo loco enucleandum.

Voluntarium et liberum inter se differunt tribus pra-
cipue modi: 1^o Voluntarium admittit necessitatem cui
repugnat liberum; 2^o voluntarium latius patet quam liberum; 3^o in uno eodemque actu, qui simul liber et voluntarius est, fieri potest ut augeatur voluntarium et mi-
nuerit liberum, ut postea ostendemus.

§ I. De voluntario.

I. Voluntarii et involuntarii notio et divisio.

7. — Voluntarii nomen a voluntate derivatur, ac sun-
bindae est id quod procedit a voluntate, quatenus voluntas
est (II, 302); propriissime usurpatum pro eo omni actu et
mota elicito aut imperato a voluntate. Actus eliciti di-
cuntur, qui ab ipsa voluntate immediate proficiuntur,
tanquam actiones ejus propriae: v. g., amor; actus impe-
rati sunt qui ab aliis facultatibus elicuntur, ex imperio
et applicatione voluntatis: v. g., loqui, deambulare.

Actus imperati, alii sunt *interni*, ut quando voluntas
facultates internas, puta intellectum, imaginationem, ap-
plicat ad agendum; v. g., cogitare, faciem aliquius rei
phantasia representare; alii *externi*, ut quum voluntas
sensus externos aut vim motricem ad actum movet, v. g.,
loqui, ambulare.

8. — Voluntarium dividitur.

1º In *directum et indirectum*: Voluntarium directum seu voluntarium *in se* est illud quod in seipso a voluntate intentum fuit, ut si quis sciens et volens se projiceret in mare; indirectum, seu *in causa*, est illud quod, non quidem in seipso volumus, sed tantum in ejus causa, cum scilicet agens aut praevidet aut praevidere potest et debet hunc effectum ex illa causa esse consequentium: sic homicidium in ebrietate commissum esset voluntarium, si aliquis dum vino sese obruit, praevidere poterit aut debuerit se in ebrietate homicidii capacem fore; ita etiam navis iactura, que nautae negligenter contingit, est voluntaria.

Voluntarium directum est vel *actuale*, quod etiam *formale* appellatur, ut quam acta voluntas operatur, vel *virtuale*, quando actuale moraliter perseverat in agente, et influit in ejus intentionem, etsi de ipso hic et nunc volens non cogitet, v. g., voluntas considerandi per distractionem interrupta; vel *habituale*, quando est inclinatio ad talem actum actionis voluntariis acquisita, de quo agens non cogitat.

2º In *perfectum et imperfectum*. Voluntarium potest dici perfectum cum oritur ex plena perfectaque voluntatis propensione, et imperfectum quando fit quidem cum voluntatis propensione, et imperfectum quando fit quidem cum voluntatis consensu, sed non sine aliqua repugnacione: talis esset actus mercatoris qui, tempestate ingravida, merces suas in mare projeiceret: ratione ergo intensitas dicitur perfectum vel imperfectum. Potest etiam appellari *voluntarium simpliciter* et *voluntarium secundum quid*.

Dicitur *moraliter perfectum* quando procedit a voluntate cum perfecta cognitione finis et circumstantiarum; *imperfectum* dum cognitio finis et mediorum est imperfecta. Petitur haec divisio ex cognitione singulorum, in quibus est actio, gradu.

3º In *positivum et negativum*, prout est actio vel omission posse sollicitationem ad actum.

4º In *expressum et tacitum*: illud est quod signis sensibilibus et externis manifestatur, puta, verbis; hoc quod ex alio facto vel ex facti omissione colligitur adesse.

9. — Voluntario opponitur involuntarium: cum voluntarium dno immortet, nempe 1º ut procedat a principio

intrinseco seu voluntate, 2º ut sit cum cognitione operationem dirigente, sequitur involuntarium id esse quod vel a principio intrinseco seu a voluntate non procedit, vel absque cognitione finis ab ipsa oritur.

Involuntarium ergo, sic universum sumptum, est duplex: aliud per *violentiam*, aliud per *ignorantiam*. Per violentiam, illud est cuius principium est extra, ita ut subjectum quod agit seu patitur, nullam vim conferat nec sponte agat; est involuntarium positive, seu simpliciter involuntarium. Involuntarium per ignorantiam est id quod fit absque finis cognitione, ut occasio qua (Edipus inscius sum patrem interfecit, de qua occisione postea doluit: appellatur etiam involuntarium privative dictum, seu non voluntarium).

Adnotandum est aliquis non esse positive *involuntarium* nisi involvit cognitionem intellectus: involuntarium enim est id quod repugnat appetitu rationali; ut sit *conatum* (II, 210), sufficit cognitione etiam imperfecta, qualis est sensitiva: coactum enim est involuntarium quod appetitus sensitivo repugnat; ut autem sit mere *violentum*, nullam requirit cognitionem, ideoque illud violentum est involuntarium quod repugnat appetitu naturali: v. g., motus lapidis sursum dicitur violentus ultime sensu, respectu lapidis; percussio passive sumptus est coacta respectu canis; deductio hominis in carcere, dicitur proprie involuntaria respectu ipsius hominis.

10. — Prop. 1º *Voluntas varie allici et retrahiri potest in suis actionibus eliciendis.*

Probatur. Nullus appetitus fertur in id quod apprehendit sibi esse disconveniens, nec respuit quod conveniens et delectabile percipit. Etenim bonum sub ratione boni nullus appetitus odisse potest, nec malum sub ratione mali prosequi (II, 206).

Aqui judicium intellectus varie objectum exprimit, et plus minusve vivide nitideque proponit ut odibile vel delectabile. Ergo per illud judicium voluntas varie alliciatur vel retrahitur.

11. — Prop. 2º *Voluntas facilitatem et difficultatem pati potest in suis actionibus.*

Probatur. Voluntas facilitatem et difficultatem evidenter patitur si causam adjuvantem aut causam remorantem secum habeat. Atqui iudicium intellectus, habitus, appetitus sensitivus, voluntati coagere possunt, vel resistere. Ergo...

Corollarium. Ex dictis constat dari plures gradus intentionis in voluntario et involuntario.

II. De causis involuntarii.

12. — Involuntarium est id¹ quod non procedit a principio intrinseco, inde principium extrinsecum vim inferens causat involuntarium, aut² quod est absque finis cognitione, ideoque quidquid mentem obnubilat circa objecti honestatem vel malitiam est etiam causa involuntarii. Quatuor igitur sunt ejusmodi causa: dues extrinsecas seu *ris* et *metus*, quae producent involuntarium per violentiam; dues intrinsecas, seu *ignorantia* et *concupiscentia*, quae se referunt ad alterum genus involuntarii.

De causis extrinsecis.

13. — I. DE VIOLENIA. Violentia seu coactio est motio, cuius principium est vis extrinsecus illata contra voluntatis inclinationem (II, 210). Si totis viribus obstipat, est coactio *absolute* et *simpliciter* dicta; si non resistat quantum potest, coactio dicitur *secundum quid*.

14. — Thesis I. *Voluntas cogi potest quoad actus impetratos, minime vero quoad actus elicitos.*

Probatur 1^a pars. Notissima res est nos adigi posse ad aliquid prestandum per facultates externas contra voluntatis inclinationem, puta, dum alio brachium nostrum moveant, chirographum euidam charta apponere cogimur, renitente prossus voluntate. Porro actus ejusmodi sunt imperati. Ergo...

Probatur 2^a pars. Voluntas non potest simul idem velle et nolle: atqui si cogi posset quoad actus elicitos, simul idem vellet et nolle: actus enim elicitus est quedam voluntate, seu actualis inclinatio voluntatis ad objectum; porro si cogeretur, illud nolle: ideoque nolle voluntatem, et

sic vellet nollens, et nolle volens, quod est evidenter absurdum. Ergo « potest homo per violentiam trahi; sed quod hoc sit ex eius voluntate, repugnat rationi violentiae, » ut ait S. Thomas.

15. — Thesis II. *Coactio absoluta voluntarium tollit.*

Nota. Voluntarium est vel actus immediate a voluntate propeiscaens, vel actus a voluntate imperatus: de hoc ultimo agitur.

Probatur. Voluntarium est id quod mediate vel immediate procedit a voluntate; atqui motio quoque fit a principio extrinseco, voluntate illius qui vim patitur totis viribus reluctante, non procedit ac haec voluntate, ut per se patet. Ergo coactio absoluta voluntarium penitus tollit.

16. — Scholium. Ex dictis simil et ex definitione concordis secundum quid, colligunt violentiam secundum quid non omnino tollere voluntarium, sed illud plus minusve immovere.

17. II. DE METU. Metus est timor presentis vel futuri mali. Est quedam violentia, non physica, sed moralis. Metus potest esse *gravis* vel *levis*. Prior est quo timemus grave aliquod malum, ut mortem, infamiam, etc., quemcum timore viri constantes commoveri solent. Posterior est ille qui oritur ex praevisione mali levius.

Est autem metus aut *absolute* gravis, aut *relative* tantum: absolute gravis erit si malum ex se sit ingens; relative dumtaxat si malum quod timorem infert, mulieres tantum et viros molles perturbare soleret, non autem viros constantes.

Metus potest esse *antedecedens*, si est causa eur aliquid fiat, nempe si induit in actum, tanquam motivum, v. g., timor flagelli puerum impellentis ad studia; vel *concomitans*, si nullum in actionem influxum exercet, sed ipsam tantum comitatur, v. g., metus magistri in puer scholas clam fugiente.

Metus procedit a causa vel extrinseca, vel intrinseca; si quis ab externo agente trepidationem injiciente, direcere moveretur ad aliquid facendum, metus caperetur ab extrinseco: illud agens potest esso causa *naturalis*, ut morbus, naufragium, etc., vel causa *libera*, ut si latro

necem tibi minetur nisi pecuniam numeres. — Ille procedit ab intrinseco, quem homo apud se interius concepit, ut dum agroti metuunt mortem.

18. — THESIS I. *Quae sunt ex metu, etiam gravi, sunt simpliciter voluntaria, et involuntaria secundum quid.*

Probatur 1^a pars. Illud est simpliciter voluntarium quod, perspectis omnibus circumstantiis, volumus; atque, que sunt ex metu, etiam gravi, eliguntur ad vitandum periculum imminentem : hec itaque patiens suscepit, eisque annuit, qua habet ut impedimentum majoris mali quod timebat. Ergo, examinatione pensatis omnibus circumstantiis, hanc partem simpliciter voluntarium.

Probatur 2^a pars. Ubi repertur aliqua voluntatis repugnativa, ibi etiam est quedam ratio involuntaria; atque que sunt ex metu, non nisi cum aliqua voluntatis repugnativa seu resistentia sunt : nam homo non ageret, si metus abesset. Ergo quae sunt ex metu, sunt involuntaria secundum quid.

19. — *Scholium.* Si tamen motus ita hominem perturbaret ut cognitionem penitus tollat et exinde electionem extinguat, actio esset simpliciter involuntaria; sed id praeter rationem motus accidit, qui, ex hypothesi, habetur ut motivum determinans actionem : in presenti enim casu, motus non esset, saltem in intentione agentis, ratio taliter agendi, seu motivum proprio dictum : præterea operatio ejusmodi non esset actus humanus, ac proinde haec hypothesis extra statum questionis evagatur.

De causa intrinseca.

20. III. DE IGNORANTIA. — Ignorantia tripliciter considerari potest, scilicet ex parte subjecti, objecti et actus.

I. Ratione *subjecti*, 1^a alia est *negativa*, que est mera nescientia rei, sine ullo errore, qualis est in pueris: alia est *privativa*, quo est nescientia rei quam quis scire tenetur.

2^a Est vel *vincibilis* vel *inxincibilis*: prima est quo vellet potest habita morali diligentia, seu hac diligentia quam ignorans adhibere debuitur. Et haec iterum est

duplex, scilicet *affectata* per quam quis de industria aliquid, quod scire tenetur, ignorat ut liberius pectet: eam ergo vult directe; et *crassa*, qua quis defecta, etiam levis diligentia ignorat quod scire tenetur, licet ignorantiam positive et directe non querat; eam ergo non vult nisi indirecte.

Altera, seu *invincibilis*, est ea que, adhibita morali diligentia, superari non posset, tum quia de re ignorata nulla cogitatio in mente sit oborta, tum quia etiæ suspicio de ejusmodi re oritur esse in mente, ignorans non posset moraliter hanc veritatem cognoscere, seu suam ignorantiam depellere. Inde dicitur *moraliter invincibilis*; si nullo modo vinci posset, diceretur *physice invincibilis*.

II. Ratione *objecti*, duplex iterum est ignorantia, videlicet *juris et facti*. Illa detinetur homo, quando nescit legem aliquam prohibere actionem quam elicit: hac, quando nescit factum ipsum, v. g., si quis percutiens clericum, ignoraret eum quem percussit, esse clericum.

III. Ratione ipsius *actus* qui ignoranter fit, est vel *antecedens*, vel *concomitans*: antecedens est que causat actum ad proinde qua sublata, actio non fieret, v. g., qui occideret patrem putans occidere feram inter vespere latenter. Ignorantia concomitans est ea que actionem quidem comitatur, sed non est causa ipsius. Verumtamen etiam si habetur cognitione, adhuc fieret actio: tunc ignorantia non inducit ad cupendum ut hoc fiat, sed accidit simul esse aliiquid factum et ignoratum. Talem habet qui interficit inimicum, quem existimat esse feram, et quem tamen interficeret, si cognosceret ipsum esse inimicum.

Ignorantia potest etiam comparari ad voluntatem ignorantis, tum est etiam vel *antecedens*, si antecedit consensum voluntatis, et ideo est involuntaria, vel *consequens*, si sequitur consensum voluntatis, et tunc est voluntaria.

Ignorantia consequens sequitur consensum voluntatis sive directe sive indirecte: sequitur directe consensum voluntatis quando actus voluntatis fertur in ipsam ignorantiam; et haec ignorantia eadem est cum vincibili affectata; sequitur indirecte si cattat tantum in id quod quis scire potest et debet, et exinde est ignorantia ex pravo habitu, ex negligentiâ culpabili proveniens.

21. — THESIS I. *Ignorantia antecedens et invincibilis voluntarium tollit.*

Probatur. Voluntarium supponit cognitionem; atqui homo qui ignorantia antecedente laborat, nullam habet cognitionem objecti circa quod versatur actio, et ita haec actio non procedit ab appetitu rationali, ut sic.

22. — THESIS II. *Quae sunt cum ignorantia concomitante non sunt positive voluntaria nec involuntaria, sed sunt non voluntaria.*

Probatur 1^a pars. Non sunt positive voluntaria, nam quae sunt proprie voluntaria fieri debent a voluntate cum singulari cognitione: atqui homo qui cum ignorantia concomitante operatur, non habet cognitionem, non solum actualem, sed neque etiam habitualem, que possit esse causa operis. Ergo istae actiones non sunt positive et simpliciter voluntariae.

2^a pars. Non sunt positive involuntaria, quia id quod est positive involuntarium, debet esse contra voluntatis inclinationem; sed actio qua sit ex ignorantia concomitante non repugnat voluntati, et constat ex definitione. Itaque non est simpliciter involuntaria.

Sequitur ergo 3^a illam actionem esse non voluntariam seu involuntariam.

23. — THESIS III. *Quae sunt cum ignorantia consequente sunt simpliciter voluntaria, et involuntaria tantum secundum quid.*

Probatur 1^a pars. Illud est simpliciter voluntarium quod fit a principio interno cognoscente singula quae ad actionem spectant; atqui homo qui cum ignorantia consequente operatur, vult et consentit ut fiat actio: si enim vult ignorare aliquid, vult ea que necessariam habent connexionem cum ejusmodi ignorantia. Ergo vult simpliciter actionem, quandoquidem vult ipsam causam actionis, videlicet ignorantiam.

Probatur 2^a pars. Verum cum homo ignorantia consequente laborans non habeat cognitionem actualem perfectam et integrum finis et circumstantiarum, sed virtualem

tantum atque imperfectam et valde confusam, reperitur in ipso quoddam involuntarium per ignorantiam: voluntas totam rem non amplectitur, et exinde aliquid veluti sine voluntate elabitur.

24. — IV. *DE CONCUPISCENTIA.* — Cum homo duplice parte constet, *superiori* nempe omnino spirituali, et *inferiori* rebus corporeis apprehendens dedita, fit ut eius voluntas ad duplex objectum trahatur, spirituale videlicet et corporeum. Ad primum per solus intellectus illustrationem, ad secundum vero per appetitus sensitivi et imaginacionis exercitationem moveatur.

Perro voluntas ab appetitu sensibili duplice modo moveri potest: 1^o indirekte et mediate, scilicet, intercedente intellectu, cui imaginatio phantasmata rerum immediate exhibet; 2^o directa et immediate, quatenus per solam presentiam phantasmatum, voluntas moveretur circa talia objecta, independenter a qualibet intellectus operatione.

25. — Concupiscentia dividitur in *antecedentia* et *consequentia*, prout praecedit voluntatis consensum, quem determinat, aut a voluntatis imperio ipsa incitat et commovet.

26. — THESIS I. *Concupiscentia antecedens angel voluntarium et mixuit liberum.*

Probatur 1^a pars. Voluntarium eo intensius est quo voluntas vivideri modo in rem expeditam intendit: aliquid enim dicitur voluntarium ex eo quod voluntas in id fertur: atqui concupiscentia auget propensionem voluntatis in objectum, ut experientia plenius sequo demonstrat. Ergo concupiscentia antecedens auget voluntarium.

Probatur 2^a pars. Libertas stat in quadam indifferencia ad unam aut alteram partem contradictionis: atqui concupiscentia in unam tantum partem contradictionis hominem impellit: ergo concupiscentia, que in unam partem magis quam in alteram impellit, minuit libertatem.

27. — *Scholium.* Concupiscentia quandoque liberum plane tollit: nempe si est adeo vehemens ut plane obsecet operantem, seu usum rationis penitus auferat et motum primo primum producat: id contingit in illis qui propter concupiscentiam fuent amentes aut furiosi: sed in

hac hypothesis non est proprie voluntarium aut involuntarium, quia ad voluntarium vel involuntarium requiritur, sin minus cognitio finis, saltem usus rationis. Inde concupiscentia potest necessitatem inferre ad appetendum, non proprie et stricte ad consentiendum.

28. — THESIS II. *Concupiscentia consequens auget voluntarium, sed non minuit liberum.*

Probatur 1^a pars. Concupiscentiam consequentem vult voluntas ut intensioni nisa se ferat in pravum objectum. Ergo concupiscentia antecedens auget voluntarium.

Probatur 2^a pars. Per concupiscentiam consequentem, voluntas trahitur in unam partem magis quam in aliam unice quia id voluit; ergo voluntas hunc motum jussit qui proinde ex ipso usu libertatis procedit. Unde quidquid intentionis est in ejusmodi actu venit ex libero usu libertatis.

§ II. De voluntatis imperio in alias animae facultates.

29. — Facultates animæ secundum triplicem gradum vite enumerantur: aliae enim ad vitam vegetativam, aliæ ad vitam sensitivam, aliae denique ad vitam rationalem spectant (II, 144). Quæratur ergo quomodo aliis facultibus enjucsumque ordinis voluntas imperet?

Adnotandum est illud imperium considerari posse tum quod *exercitum*, ita ut voluntas alias facultates de non agentibus faciat agentes, tum quod *specificationem*, scilicet ad hoc ut facultates eliciant actus specie diversos, v. g., assensum vel dissensum in intellectu.

30. — THESIS I. *Voluntas directe et per se non imparet facultatibus vita vegetativa, neque sensibus externis, sed tantum indirecte et per accidens.*

Probatur 1^a pars, quæ experientia evidenti constat, v. g., voluntas nequit stomacho imperare ut cibo jam recepto non nutritur, neque auribus ut non audiant sonos quibus afficiuntur.

Probatur 2^a pars. Potest voluntas materiam subtrahere facultatibus vegetativis, et potest etiam eas juvare aut

earum exercitum praepedire per quietem aut nimiam corporis exercitationem; idem dicendum de sensibus externis, quia voluntas potest, v. g., imperare ut manus aures obturemus, etc. Ergo voluntas indirecte tantum facultatibus vita vegetativa et sensibilitati externe imperare potest.

31. — THESIS II. *Voluntas imperat simpliciter potentia motrici, et secundum quid intellectui, imaginationi et appetiti sensitivo.*

Prima pars experientia clare constat: nemo enim ignorat voluntatem posse motus corporeos effaciter præcipere.

Secunda pars eodem modo probatur: constat enim experientia intellectum, imaginationem, appetitum sensitivum aliquando ipsi oblectari: non potest semper quod intellectum, v. g., impedire quin cogitationes distraheantur in oratione enascantur, vel etiam enatas pro libito expellere. Quod appetitum sensitivum, non minus perspicuum est voluntatem non posse huic facultati simpliciter imperare: nemo enim in se non perserit pugnam fere continuam quam appetitus sensitivus contra partem superiorē gerit. « Video autem, aiebat S. Paulus, aliam legem in membris meis, repugnante legi mentis meæ, et captivante me in lege peccati. » Idem de imaginatione.

Præterea intellectus et appetitus sensitivus aliquo modo voluntatem ipsam movent. Ergo simpliciter et absolute voluntatem imperio non subduntur: 1^o Certo intellectus non movet voluntatem quod exercitum actus, sed quod specificationem, quæ est ex parte objecti, quod non nisi ab intellectu proponitur.

2^o Appelletur sensitivus quasi occasionaliter movet voluntatem, quatenus rationi et intellectui materiam apprehensionis injicere potest; sic, mediante intellectu, quem ad hoc vel illud iudicium efformandum portrahit, objectivite movet voluntatem. Ergo...

§ III. De libero.

32. — In Psychologia diximus quid et quotuplex sit libertas, cuius existentiam in homino probavimus (II,

208, etc., 302, etc.). Nunc distinctiori modo examinandum est, 1^o quid sit haec facultas, que est principium meriti vel demerit, seu cui dirigenda incumbit Ethica; 2^o quae sit efficientia hujus principii; 3^o quid hanc efficientiam præpediat?

I. De principiis libertatis.

33. — Thesis I. *Liberum arbitrium non est facultas ab intellectu et voluntate diversa.*

Nota. Liberum arbitrium esse potentiam quamdam motricem, distinctam ab intellectu et voluntate, putavit Alexander Alesonis; sed hec sententia non potest probari, immo nec intelligi.

Probatur. Si esset potentia motrix distincta, jam 1^o ad elicendum actus transuentos tantum ordinaretur, non autem immanentes; 2^o ab ipsa voluntate regeretur. Utrunque constat; etenim ex hypothesi, totum ejus officium est ut moveat alias facultates, eisque imperet, ideoque actus transuentos unice exercet: præterea cum tantum ordinatur ad movendum alias potentias, ac proinde non ad se movendum, sequitur evidenter ipsam esse motam. Atque, 1^o facultas quae non exercet actus immanentes non est capax libertatis, quae importat electionem inter plura ipsi potentiae eligenti praesentia; 2^o potentia que subjicit voluntati non est elicitive libera, ut per se patet. Ergo libertas non potest esse facultas specialis distincta ab intellectu et voluntate.

34. — *Quodnam sit subjectum libertatis?* (II, 209 302).

Certum est 1^o libertatem non esse in entibus quibus nulla inest voluntas nullumque præsumt intellectus judicium. Bruta animalia nature impetu et sensuum affectibus ad objecta sibi convenientia rapiuntur; quod si unum præ alio eligant, id fit per posterioris objecti illeactum et attractum: v. g., dum felis a lacte capiendo se abstinet propter minitantes verbera, id non venit ex libera electione, sed ex eo quod timor ejus appetitum efficacius movet quam delectatio cibi.

Certum est 2^o libertatem non esse actum vel habitum,

nam nobis inest a natura: porro non datur actus vel habitus a natura unice proficentes. Itaque cum liberum arbitrium ex una parte non inveniatur nisi ubi reperiuntur actus intellectus et voluntatis, et ex altera, non sit potentia ab istis facultatibus diversa, manifesto sequitur subjectum libertatis non esse nisi intellectus vel voluntatem.

35. — Thesis II. *Libertas proprie et formaliter non residet in intellectu.*

Probatur 1^o. Facultas quae est subjectum libertatis, postis omnibus ad agendum requisitis, agere vel non agere, quandoquidem in eo consistit essentia libertatis. Atqui intellectus ita determinatur ab objecto ut necessario illud apprehendat; intellectus enim non est liber neque quoad *specificationem*, quia ex natura sua determinatus est ut assentiat vero et dissentiat a falso, neque quoad *exercitum*, quia actus intellectus, non secus ac potentia visiva operatio, non est intrinseco voluntarius; porro nulla potentia, cuius actus non est *intrinseco* voluntarius, potest esse formaliter libera quoad exercitum: determinatio hujusmodi potentiae non potest esse nisi vel a natura vel a voluntate, et in neutro casu esset libera, ut per se liquet. Ergo libertas proprie et formaliter in intellectu non residet.

Probatur 2^o. Si intellectus formaliter esset liber, sequeretur, 1^o hominem peccare posse solo intellectu, ante consensum voluntatis; 2^o ignorantiam prorsus involuntariam non excusare a peccato. Atqui hec omnia sunt falsa.

36. — Thesis III. *Libertas formaliter et immediate residet in voluntate.*

Nota. Haec propositio jam ut corollarium fluit ex superiori: nam si in intellectu formaliter libertas non est, necesse est ut sit in voluntate, quia nulla potentia præter voluntatem relinquitur, in qua esse possit.

Probatur. Illa facultas est formaliter libera, cujus est indifferencia ad agendum vel non agendum: in indifferencia enim contradictionis stat essentia libertatis (II, 21 0)

atqui facultas qua homo est formaliter indifferens ad agendum vel non agendum est voluntas; v. g., ratio cur studeam aut non studeam nulla alia assignari potest im- mediatarum quam quia hoo volo. Ergo...

37. — *Corollarium.* Ex hactenus dictis de subiecto liberi arbitrii colligitur, 1º radicem aut, ut volunt Scotus, Gandavensis et alii, conditionem necessariam libertatis esse intellectum, qui universaliter objecta cognoscit, adeoque etiam juxta varias circumstantias; inde et varie de re ipsa judicare potest. Ex hac varietate et indifferen- tia iudicis nascitur, tanquam ex radice, indifferentia seu libertas voluntatis :

2º *Subiectum* esse ipsum voluntatem, cuius objectum adaequatum est omne bonum prout ab intellectu cognoscitur. Igitur liberum arbitrium est voluntatis formaliter, rationis autem prasuppositum seu radicaleiter.

Sub altero respectu, ratio etiam optime dicitur radix libertatis, nam potentia appetitiva sequuntur cognosci- tivas, ita ut, licet radix eorum sit anima, immediate tamen anima est radix facultatis cognoscitive, et, mediante ista, facultatis appetitiva. Quocirca liberum arbitrium merito dicitur radicari in ratione.

II. De efficiencia illorum principiorum.

38. — I. *Quam partem habeat radix libertatis seu intellectus in actu libero?*

Thesis. *Ad actum liberum intellectus effective non concurrit.* (II, 304).

Nota. Concurrere effective est concurrere per modum principii seu cause efficientis physice, non autem per modum objecti aut finis.

Probatur. Si intellectus in actu liberum efficienter, sen- ad modum principii activi, physice influenter, ageret, jam deberet ad illum producendum concurrere, aut per se immediate, aut per suam intellectuionem; atqui neutrō modo concurreret effective : nam, 1º intellectus immediate non producit nisi intellectuionem, minime autem voluntio- nem; 2º ipsa intellectus, cum fiat in intellectu, cuius am- bitum non egreditur, effective nequit operari in voluntate.

tem, quæ actum liberum ponit. Ergo intellectus vim effectivam non habet in actum liberum.

Corollarium. Voluntas cum generali concurso Dei est totale principium elicitiuum suorum actuum.

39. — *Scholium.* Verum, etsi intellectus effective non agat in actum liberum, tamen directive concurrit : ex ipso enim proficiuntur quidam actus ipsam voluntatem libera- ram dirigentes, quorum alii sunt circa finem, ut boni seu finis apprehensio et propositio, judicium de ejusdem finis bonitate, etc., et alii versantur circa media, ut eorum cognitio et estimatio. Dum enim voluntas sibi propositus finem consequendum, ab intellectu jam apprehensum et propositum, tunc iterum opus est actione intellectus qua haec facultas varia inquirat media ad finem obtinendum, et eorum idoneitatem voluntati ostendat; inde *consilium*, quod est actus intellectus, imperio voluntatis elicitus : sed.

40. — II. *Quotuplici modo principium formale actus liberi in suas proprias operationes erumpat?*

Ut constat ex dictis, actus voluntatis, seu principii for- malis actus liberi, alii sunt circa finem, alii circa media. Circa finem sunt triplices generis: *volitio*, *intentio* et *friu- tio*. Circa media ad quatuor genera revocantur, scilicet ad *consensum*, *electionem*, *imperium* et *usum*.

Id colligitur ex ordine quem invicem istae actiones ser- vant: 1º intellectus bonum voluntati proponit, indequod excitatur in voluntate amor simplex seu complacientia: hinc *volitio* ad illud; 2º intellectus postea generatio ostendit illud bonum, seu finem propositum, ut consequendum: inde enascitur in voluntate *intentio* que reipsa idem est ac desiderium; 3º denique in fine adeptio conquiescere potest voluntas, quo casu habetur *frutio*.

Subiecti intellectus per *consilium* varia media quibus bonum expeditum possit comparari: tunc voluntas 1º qua- tenus vult quod intellectus judicat utile, elicit actum qui dicitur *consensus*; 2º quatenus eadem voluntas unum medium praे aliis eligit, tum habetur *electio*; electio ergo et consensus stricte non sunt actus diversi, sed esse pos- sunt varii respectus ejusdem actus; 3º electione mediū facta, voluntas sibi et aliis potentiis imperat, ut medio electo utantur, et est *imperium*; 4º dum ipsa voluntas et

aliae potentiae secundum præmissum voluntatis imperium
hoc medio utuntur, est *usus*.

41. — Declaratis numero et ordine illarum actionum,
nunc easdem specialiori modo definire oportet :

1º *Volitio*, non generice sed pro quocumque voluntatis
actu sumpta (II, 302), sed specialissime, est actus voluntatis
circa finem, ut bonum absolute et propter se amabile.

2º *Intentio* est actus voluntatis respiciens finem ut bonum per media obtainendum.

Etsi voluntas non possit appetere formaliter et eodem
actu finem et media, quia finis et media sunt objecta distincta, quia proinde non nisi per actus diversos attingi possunt (II, 144), tamen non potest quis explicite finem appetere quin implicite appetat media et vicissim; nemo enim quia finem sequi nisi per media, et ex altera parte, tota appetibilitas medium venit ex fine (I, 320).

3º *Electio* et *consensus* inter se differunt quatenus electio semper exquirit ut voluntas unum præallis amplectatur, dum consensus unice importat acceptationem medi propositi. Igitur omnis electio est consensus, sed non omnis consensus dicitur electio, quia formaliter non dicit comparisonem que ad hanc requiritur.

Consensus est vel *formalis*, vel *tacitus*, vel *interpretatus*. Formalis est actus voluntatis expressus quo haec facultas consentit iudicio intellectus; tacitus nuncupatur, quando voluntas non contradicit medio ab intellectu proposito, juxta effatum : *qui facit consentire videtur*. Est interpretatus, quando ex parte consentientis nulla est peculiaris cognitio medi propositi, quod tamen approbare solet, quando illud cognoscit.

4º *Imperium* est ille actus voluntatis quo producentur actus imperati circa medium electum. Sed adnotandum est actus voluntatis imperatos differre ab actibus imperatorum aliarum facultatum, in quantum sunt simili imperati et eliciti.

5º *Usus* differt ab imperio, quod est veluti impetus ad operationem, dum usus est ipsa operatio : itaque usus utentis conjunctus est cum actu seu efficientia propria rei qua uitum, dum imperium præscribit usum : v. g., usus

calami ab scribendum habetur quando voluntas jubet ut manus calamo utatur ad scribendum : imperium ergo est naturaliter prius quam usus, nempe quam imperio obediatur.

Verum hic sedulo adnotandum est duplicum esse usum : activum scilicet et passivum; usus *actus voluntatis* facultates obedientiales moyentis ad agendum; *passivus* est ipsa facultatis obedientialis actio prout a voluntate moveritur. Usus prout hic consideratur, hoc est, quatenus se referat ad actum liberum voluntatis, est usus activus.

6º *Fruitio*, quæ etymologiam ducit a fructu, est actus voluntatis circa bonum possessum formaliter. Cum spectet ad delectationem et amorem, manifesto est actus facultatis appetitiva: frui enim, iuxta etymon, nihil est aliud quam fructum capere : porro fructus sensibilis, ut ait S. Thomas (I), est id quod ultimum ex arbore expectatur, et cum quadam suavitate percipitur : unde fruitio pertinere videtur ad amorem vel delectationem quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis; finis autem et bonum est objectum appetitiva potest.

Hic animadvertisendum est cum Cajetano, vocabulum «fruitio» sequivocari inter Thomistas et Scotistas. Secundum Thomistas significat delectationem formaliter loquendo, amorem autem connotative et causaliter. Secundum Scotistas significat formaliter amorem amicitiae.

III. Quid impedit liberum.

42. — His præstitutis circa principium tum radicale, tum formale actus liberi, et ordinem quo haec principia progradientur in operando, queritur quid impedit vel tollat liberum?

Libertati contradictione opponitur necessitas, quæ est determinatio ad unum. Porro necessitas dividitur: 1º in necessitatem *exercitii* et necessitatem *specificationis*: prior est quando appetitus vitalis ex necessitate actum appetendi exercet a quo refugere haec facultas nullo modo posset: haec necessitas in appetitu sensitivo repperitur; in

(1) 1º 2º, q. 2, a. 1.

rationali vero non invenitur in hac vita, sed solum in beata (II, 204) : altera in hoc consistit, quod licet facultas actum appetendi ex necessitate non exerceat, tamen si exerceat, necessario appetit tale objectum : sic voluntas nostra est libera circa bonum in genere (II, 206).

2º In *antecedentem, concomitantem et consequentem*, prout voluntatis usum antecedit, comitatur vel sequitur.

3º In *physicam et moralē*. Necessitas physica ea est que voluntas ad tale objectum est absolute et naturaliter determinata (I, 452) : hac necessitate afficitur voluntas circa bonum in genere. Moralē habetur quando voluntas, etsi physico possit aliter operari, tamen ad unum tam vehementer trahitur, ut nonnisi cum summa difficultate valeat ad aliud se convertere : v. g., potator coram lagena bellissimi vini constitutus.

43. — *THESSIS I. Essentia liberi arbitrii consistit in indifferentia activa, et excludit non solum coactionem, sed etiam necessitatem simplicem.*

Nota. Jansenius et Baius hanc veritatem tam perspicuum negabunt. Hic ultimum suum errorem in sequentibus propositionibus ab Ecclesia damnatis exprompsit : Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. — Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

Probatur. Agens liberum ab agente naturali et necessario distinguunt, quia istud ad unum est absolute determinatum, dum alterum est ex se indeterminatum et exercet dominium in suis actus; atqui esse ex se indeterminatum et habere dominium in suis actus, idem est ac frui indifferentia activa; haec enim indifferencia nihil est aliud quam vis qua agens potest agere vel non agere, positis omnibus ad agendum requisistis; et cum actus humani consistant formaliter in actibus elicitiis, manifestum est essentiam liberi arbitrii importare presentem immunitatem a simplici necessitate. Ergo hae essentia evidenter consistit in indifferentia activa, et non excludit tantum coactionem.

44. *THESSIS II. Ad rationem meriti vel demeriti requiritur libertas indifferentie.*

Nota I. Asserebat Jansenius ad merendum vel deme-

rendum in statu nature lapsæ, non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. Haec doctrina ab Innocentio X, ut heretica, fuit damnata.

Nota II. Meritum nihil aliud est nisi congruae retributionis exigentia : meritum ergo est habitudo actuum humanaorum ad entia rationalia in quorum emolumentum vel detrimentum edunt.

Probatur. 1º Meriti conceptus importat opus factum a merente aliquo modo in gratiam vel commodum eius apud quem meretur; atqui agens quod libertate indifferentie careret, non posset ipsummet, 1º opus præmio dignum præstare, 2º illud ordinare ad præmium seu facere in commodum alterius. Etenim, 1º non potest opus præstare quod valorem moralem habeat, quia ad hoc requiritur ut principium elicivum sit voluntas libera; 2º non posset diligere opus in ordine ad præmium; nam agens ejusmodi non se determinat, sed ipsum determinatur ad unum; deinde et consequenter nullum habet dominium in suis actus. Ergo, qui non habet libertatem indifferentie, nequit proprie et formaliter mereri vel demereri.

2º Meritum vel demeritum in moralitate actuum humanorum evidenter fundatur : nam meritum nihil est aliud quam moralis dignitas operis in ordine ad præmium; atqui moralitas haberi nequit sine libertate indifferentie, ut constat ex ipso conceptu moralitatis.

3º Ex consensu communis omnium hominum, qui rationem meriti non conognit in eo qui dominium in suis actus non habetur, ut omnes sciunt. Ergo...

45. — *Scholium.* Meritum non est idem ac moralitas, nam est tantum ordo actus ad præmium : id quod efficitur in emolumentum alterius, apud hunc meretur. Ex quo sequitur meritum esse jus ad præmium et ideo meritum non dari nisi es qui meretur et is apud quem meretur sint entia rationalia, scilicet capacia juris et offici, et ex altera parte dari posse absolute vel hypothetico de omni ente rationali ad omne ens rationale.

ARTICULUS II.

*De habitibus.***§ I — De habitibus in genere.**

46. — Ad facultates, quae sunt principia elicentia actuum moralium primaria, revocantur habitus, qui ipsas facultates expeditiores et intensiores reddunt ad operandum; itaque ad principia elicitiva actuum humanorum referre oportet habitus: facultates sunt principia essentialia et nativa; habitus autem principia superaddita et acquisita. Non agitur his de habitibus infusis.

Super habitibus entitative spectatis superius disserimus (II, 336-371); reminiscendi causa hic iterum dicemus habitus, quatenus sufficiunt voluntatem, nuncupari virtutes aut vitia, prout hanc facultatem inclinant ad bonum vel ad malum.

Duplex est subiectum habituum, *remotum* scilicet et *proximum*. Illud est ipsa res quae habitum suspicere dicitur, seu ens cuius sunt facultates habitibus informatae, v. g., subiectum remotum talis virtutis est ipse homo cuius voluntas inclinatur ad objectum hujuscem virtutis. Proximum autem est ipsa facultas, cui talis habitus immediate inheret, quanquam juvat et inclinat in suis operationibus elicendi. Habitus afficeri possunt potentiam motricem respectu actionum artificiosarum, appetitum sensitivum et imaginationem, intellectum et voluntatem. In presenti disputatione, subiectum remotum non est aliud nisi homo, proximum, ipsa voluntas. Virtutes enim quae dicuntur intellectuales, voluntatem non sufficiunt, sed intellectum.

47. — **Thesis I. Actiones concurrunt effective ad productionem habitus.**

Nota. Hie agitur de habitibus acquisitis, non autem de habitibus infusis (I, 368).

Probatur. Habitus est a potentia vel ab actu: si ab ipsa potentia vel ab actu ortum non dueret, aut non esset acquisitus, aut ipsum potentiam intrinsecus non afficeret; praeter ipsum facultatem et ejus operationes nihil romanet facultati intrinsecum. Atque non est a potentia, saltem immediate; nam potentia est indifferens ad multos habitus

suscipiendo: ergo opus est actibus qui eam determinent id talem habitum, potius quam ad alios.

48. *Corollarium.* Ex dictis constat habitum, qui saltem jam est adeptus, omnes suos intensiois gradus augere posse per quoslibet actus: actus enim aliud producent, et facultatem magis ac magis inclinant ad tale objectum; ideoque ipsum habitum adaugent, eumque firmorem redundant.

49. — **Thesis II. Habitus debilitantur et quandoque penitus eradicantur per actus contrarios.**

Probatur. Actus concurrunt effective ad productionem habitus seu ad facultatem taliter inclinandam. Itaque actus contrarii aliqui habitui inclinant ipsam facultatem in directionem huic habitui oppositam, sem illius habitus subiectum retrahunt ab hac parte in quam vergebat. Ergo, cum aliud non possit simul stabili modo hinc atque illinc incurvare, necesse est ut actus habitibus contrarii eosdem aut imminuant aut radicibus evellant.

50. — *Scholium.* Desitio ab actibus potest etiam minuere, immo tollere habitus. Id experientia sufficienter constat; aliquando videmus peritos in aliqua scientia vix meminisse eorum quae prius apprime noverant.

§ II. De habitibus bonis, seu de virtutibus.**I. De virtutibus in genere.**

51. — Ad nomen *virtutis* quod attinet, animadverendum est hanc vocem plures obtinere significations: 1^a Nonnunquam usurpat pro quaquam potentia negativa, v. g., calor est virtus ignis; 2^a pro ipsomet actu hujus potentiae; sic in Scripturis legimus: « Fieus et vinea dederunt virtutem suam; » agitur de actu principii activi; 3^a sumit etiam pro quaquam perfectione aut proprietate alicuius rei; puta, plantarum ac radicum virtus, et quandoque in sensu metaphorico, pro perfectione quae in belluis aliquam analogiam habet cum virtutibus moralibus; v. g., formica dieitur prudens; 4^a denique et propriissime sumitur pro habitu inclinante ad actus moraliter bonos.

Virtus moralis stricte definiri potest, post S. Augustinum (1) et S. Thomam (2) : *Bona qualitas mentis qua recte vivitur et nullus male uititur.*

Explicatur definitio : *Qualitas locum generis tenet : virtus est ille habitus, qui constituit primam speciem qualitatis. Bonaz, qua parte virtus a pravis habitibus secerni incipit. Mentis, quae est subiectum virtutis, et late sumitur, nempe pro omni ei quod est particeps rationis, hoc est, pro intellectu et voluntate; imo et in hac parte appetitus sensitivus quadammodo etiam includimus, in quantum rationis actionem et motum recepit. Quia recte vivitur : est finis virtutis; et nemo male uitatur, quia non nisi ad bonum usum inservit; id finem explicatius declarat.*

52. — THESIS I. *Virtus moralis in medio sita est.*

Nota. Per medium hic intelligitur mensura et modus per rationem assignatus, non autem intensitas vel remissio actus, ~~excessus~~ vel debilitas habitus.

Probatur. Consistere in medio idem est ac non excedere nec deficeri in aliquo, seu nullo modo deflectere a propria regula; atque virtutes morales nequont deflectere sive per excessum sive per defectum ab ipso rationis dictamine, quin designant esse virtutes. Ergo...

Probatur minor. Ratio enim est regule omnis operationis humanae, ideoque operatio humana et qualitas a qua operationes ejusmodi proficiuntur, catenus dicuntur recte, quatenus rationi adaequantur; porro virtus est qualitas qua recte seu ad normam rationis vivitur, et nullus male, seu contra vel praeter regulam morum, uititur. Ergo nequit deflectere sive per excessum, sive per defectum, quin designant esse virtus, ac proinde consistit in medio.

53. — THESIS II. *Homo ad perfecte operandum indiget virtutibus.*

Probatur. Perfecte operamus si uniformiter, prompte

(1) L. 3, contra Jul. c. 3.

(2) 1^o 3^o, q. 53, a. 4.

et constanter ad honestam operationem nos conferamus; perfectio enim in operando habetur quando nulla operatio et nihil quidquam in operatione a regula morum deflectit. Atqui ad recte operandum uniformiter, prompte et constanter requiruntur virtutes : 1^o ad uniformiter et constanter operandum, nam, ut ait S. Thomas : « Ea quae ex sola operatione dependent, facile immutantur, nisi secundum aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita; facultas enim quae variis ac innumeris modis attracta et dilecta est, et quandoque vehementer tractu, ad malum, non semper regulam morum obsequenter, si per virtutes ad honestatem veluti pondere suo non inclinaretur; 2^o non minus requiruntur, ut prompte ad honestatem se conferat homo : nam inquisitione, deliberatione et incertitudine magis protrahi necesse est illum qui habita quodam non dirigunt nec juvatur in suis actionibus elicendi. Ergo ad perfecte operandum requiruntur virtutes

Dicatio virtutum.

54. — Virtutes accessitae distribuuntur 1^o in intellectuales, nempe intellectus insitas, et, 2^o morales, qua voluntatem perficiunt. Intellectuales sunt quinque : *intellectus, seu cognitione principiorum immediatorum : sapientia, seu cognitione altissimorum principiorum ; scientia, nempe cognitione per deductiones seu ope ratiocinii ; ars, que factibilis recte ordinat, et prudenter, quae dirigit ad finem operabilis in genere morum seu agibilis.* Tamen haec ultima inter morales etiam reconserat, quia voluntatem simul et intellectum perfectiores reddit. De moralibus virtutibus hic agemus.

55. — THESIS. *Virtus moralis aequaliter dividitur in quatuor generaliores partes, que sunt : prudenter, justitia, temperantia et fortitudo.*

Probatur 1^o ex immediato virtutum subiecto. Cum enim virtus moralis in hoc consistat quod subiectum influet ad recte' operandum, tot erunt generaliores virtutes, quod sunt facultates quae ad actus morales concurret ordinandos. Atqui quatuor sunt ejusmodi principia

operationum moralium inter se distincta : 1º Vis rationalis que ostendit eligenda et praecavenda ; 2º voluntas, que debet unicuique reddere quod suum est ; 3º appetitus concupisibilis, qui bene et moderate debet se habere circa bonum sensibile, ac denique ; 4º appetitus irascibilis, cuius impetus in fugientis molestiis regi ac retundi debent.

Jam vero *prudentia* juvat rationem ad bene regendam vitam ; *justitia* rectam facit voluntatem circa bonum *alienum* ; *quoad proprium*, haec rectitudine obtinetur per duas sequentes virtutes : *temperantia* concupisibilis coeret a delectationibus pravis ; denique *fortitudo* partem irascibilem rectam facit circa bonum et malum arduum, ne ignavia succumbat aut temeritate se erigit. Iste virtutes, uti monimus, inclinant ad bonum proprium, cui adversari posset appetitus deordinatus tam concupisibilis quam irascibilis. Ergo sunt quatuor generaliores virtutes morales.

Probatur 2º ex earumdem virtutem objecto. Virtus moralis respicit bonum morale; atqui bonum illud quadrisariat considerari potest, videlicet : 1º in suo fonte, ut ostenditur a ratione : hinc *prudentia* ; 2º ut operatur a voluntate secundum ordinem rationis : hinc *justitia* ; 3º ut impugnatur a passione : hinc *moderatio* ; 4º ut praediretur timore laborum : hinc *fortitudo*.

Itaque virtus moralis adequate distribuitur in quatuor membris.

56. — *Scholium.* Iste virtutes nuncupantur *cardinales*, quia universa vita nostra moralis conversatio his virtutibus, quasi cardinibus, in ordine ad honestatem volvitur.

II. De virtutibus moralibus in specie.

57. — I. *De prudentia.* Prudentiae nomen dictum videatur a *procu* *rivenio*, quia est sagax agendorum notitia respectu ad finem bonum habito. Haec virtus, que, juxta etymon, aptam medianorum dispositionem intuitu finis honesti importat, definitur ab Aristotele (1) : *Recta ratio agendorum.*

(1) L. 6, Ethicæ c. 5.

Potest distinctius sic describi : *Virtus qua intellectus judicat quid, in particulari, sit honestum vel turpe. Dicitur :*

1º *Quia intellectus judicat*, nam ad discriminem aliarum virtutum moralium, subiectum prudentiae est intellectus : pertinet enim ad rationem practicam, et ideo ratione subiecti est virtus intellectualis. Verumtamen eum respiciat conformitatem actuum moralium cum lege, et supponat voluntatem bene ordinatam ad finem, habet etiam rationem virtutis moralis.

2º *Quid sit honestum vel turpe* : per haec verba indicatur objectum prudentie, quod est honesto agere, sicut edificare domum est objectum artis; differt ab arte, que etiam est recta ratio operabilium, seu recta dispositio mediorum ad rem peragendam idoneorum, quatenus hic per factibilem venit opus morale, seu actio legibus moralibus consona : unde ars dicitur versari circa *factibilitatem*, et prudentia, circa *agibilitatem*.

3º *In particulari* : Prudentia versatur circa actiones singulares. Per Ethicam intellectus judicat quid sit honestum vel turpe in genere, sed non descendit ad particulares circumstantias et actiones singulares; id enim praestat prudentia, quae generalia Ethice præcepta, statutis occasionibus, ad proximam dirigit.

58. — Tres sunt generaliores actus prudentie. Debet enim :

1º *Bene consultare*, inquirendo media et circumstantias ut opus honestate fiat; partes ergo ejus sunt invenire medium illud in quo stant virtutes morales (30).

2º *Recte judicare*, consultatione peracta, concludendo post inquisitionem quid, quove modo, loco, tempore, etc., agendum sit, ut opus ad normam honestatis fiat; inde præscribit medium virtutibus moralibus; hisce virtutibus non prescribet finem, sed tantum judicat de mediis quæ detexit.

3º *Recte imperare*, quod fieri potest per ipsum actum judicij, quo prudens judicat hoc opus in talibus adjunctis esse faciendum. Hoc ultimum munus non est imperium proprie dictum, sed ipsa causalitas quam habet actus judicij in actu voluntatis.

De partibus potentialibus prudentiae. Partes potentiales sunt quædam virtutes, que, licet non totam virtutis principalis rationem participant, ad eam tamen accedere videntur.

Propter tres functiones superius enumeratas, prudenter tanquam *partes potentiales* includere debet, juxta S. Thomam: 1^o *cubilium* que est habitus quidam inclinans ad recte consultandum de mediis honesto fini asseundo idoneis, seu virtus circa ea que in humanis agenda sunt bene consilians: etymologicè idem sicut ac bona consiliatrix, s^v, bonum, έγωζ, consilium; 2^o *synesim*, seu bonum sensum, qua prudens recte judicat de iis quæ aliqua lege prescripta sunt, seu habitus bene judicandi circa particularia agenda; 3^o *gnomes*, que est habitus recte judicandi contra tenorem legis ex motivis rationabilibus ordinis superioris, id est interpretando mentem legislatoris in verbis legis non expressam. Τιοντι se habet ad prudentiam sicut *enaxia* ad justitiam. Habetur quando non ex tenore legis proficiuntur, sed ex seculo et bono, nempe ex principiis altioribus, ut est bonum publicum et privatum, alia legislatoris intentio, etc.; restrinquit locutiones nimis universales legis. Est pars potentialis prudentiae, quia importat quamdam perspicacitatem judicii. — Iste habitus non realiter distinguuntur a prudentia, sed sunt ipsa prudentia inadaequata spectata, nempe ut se extendit ad hanc vel illam functionem.

59. — *De partibus integralibus prudentiae.* Partes integrales aliecuus virtutis s^e sunt que, licet ad essentiam hujus virtutis non sint necessarie, ad ejus tamen perfectionem ita conducunt, ut, iis sublati, perfectus non sit virtutis actus.

Partes integræ prudentiae octo enumerat S. Thomas: Prudentia enim est vel *cognoscitiva* mediorum que sunt ad finem honestum: bone consultat et recte judicat (46); vel *applicativa* cognitionis ad opus: recte imperat; et sub hoc dupli respectu, plura ad perfectam prudentiam requiruntur.

Quatenus cognoscitiva, requirit: 1^o *memoriam* seu recordationem præteriorum: prudentia enim experientia et observatione eventuum præteriorum nittitur, ex quibus

ex numero facile colligimus quid in tali negotio peragendo expediat; 2^o *intelligentiam*, seu notitiam praesentium, id est, legis seu principiorum moralium; 3^o *providentiam*, seu inquisitionem eorum quæ opus subsequi possent; 4^o *ratiocinationem*, qua ex notitia acquisita per predictos actus, inferimus quid sit agendum in casto occurrente; 5^o et 6^o *solertia* et *docilitas* usum prudentie in consultando et judicando etiam adjuvant. Verum ad acquirendam virtutem prudentiae potius ordinantur: 1^o *solertia*, seu εὐταχία, est quædam subita ex cogitatione mediorum honestorum seu ad rationis normam accomodatorum; quandoque enim negotio non relinquunt copiam diuturnæ consultationis; 2^o *docilitas*, est quædam promptitudo ad aquiescendum sensu prudentium.

Ad executionem operis, quod imperat prudentia, seu ad prudentiam, quatenus est præceptiva et applicativa cognitionis ad opus, requiruntur: 1^o *circumspectio*, que est recta et sedula consideratio omnium circumstantiarum quæ pertinent ad bonum opus, quod aggradinum; 2^o *cavitas*, que est cura ut virtutis mala insurgetia. Haec duæ partes nihil aliud sunt quam conditiones requisita ad perfectam discretionem.

60. — II. *Justitia.* *Justitia* nomen quatuor praesertim modis usurpare solet: 1^o pro cumulo omnium virtutum: v. g. *vir justus*, in sacris litteris, idem est ac omnibus virtutibus ornatus, et quidem proprie, nam vir ille reddit unicuique, Deo et proximo, quod suum est; 2^o pro gratia sive caritate supernaturali; 3^o et magis proprie pro virtute cardinali inclinante ad reddendum unicuique quod suum est. Hoc modo a jurisprudentia definiri solet: *Constans et perpetua voluntas ius suum unicuique reddendi*. Haec definitio Ulpiani et jurisprudentorum est recta; verum justitia accuratius definiri potest: *Virtus moralis qua voluntas tribuit alteri quod suum est*. Explicatur definitio:

1^o *Virtus* tenet locum generis; aliae partes definitionis proprios caracteres justitiae exprimunt: 2^o *qua voluntas tribuit*, per quod prudentia distinguuntur; prudentia est in intellectu, justitia in voluntate; 3^o *tribuit alteri*, etc.; his verbis distinguuntur a temperantia et fortitudine, quæ alterum non respiciunt.

61. — Objectum *formale* justitiae est jus a quo justitia nomen suum mutuatur, et quod est specialis honestas hujus virtutis; objectum *materiale*, res in quam habetur jus, puta, res empta, vendita, etc.; objectum *cui*, persona habens jus.

Jus tripliciter sumi potest, nempe — I. ut regula, hoc est, *pro lege* qua determinat quid ex justitia unicuique debeat: et in hoc sensu sumptum, subdividitur, 1^o ratione fontis, in *naturale* et *positivum*, quod potest esse *divinum* vel *humanum*; 2^o ratione modi, in *scriptum* et *non scriptum* seu consuetudinarium; 3^o ratione objecti, in *privatum* et *publicum*, quod utrumque in *canonicum* et *civile* partitur.

II. Sumitur *pro ipsa facultate* rem obtinendi, et sic consideratur subjective, seu in objecto *cui*.

III. Tandem objective *pro aequo et justo*, nempe pro *aequalitate ad alterum*, quae *aequalitas* a lege regitur, et est quaedam relatio quae supponit duplicum terminum, id quod aequaliter, id ad quod aequaliter.

62. — *Quotuplex sit Justitia?* Justitia in genere sumpta dividitur: 1^o in *generalem seu legalem*, et *privatem seu particulariem*. Dicitur privata quando respectat bonum privatum, seu tribuit unicuique quod summum est; haec, ad discrimen alterius, est justitia proprio dicta. Est *generalis seu legalis*, quando bonum publicum intendit, seu tribuit toti communitate quod summum est. Vocatur *generalis*, quia bonum publicum respicit, *legalis*, quia se extendit ad omnia, quae legibus statuta sunt (I), seu conformat actus legi (II, 445). Verum vox *legalis*, prout justitia tribuitur, latius vel strictius usurpatur. Ratio hujus divisionis est quod duo sunt genera bonorum, nempe publicum et privatum, circa que versari potest justitia.

2^o *Justitia legalis*, prout consistit in conformitate acutum legi, dividit in stricta legalem et epikеiam, *et iuris*, prout importat conformitatem legi sumptus aut materialiter seu juxta sensum omnium verborum, aut formaliter nempe secundum intentionem legislatoris. Lex fertur pro casibus ordinariis, et ideo hi casus per verba

(I) Pontius, Ethica, d. 3, q. 7, n. 36.

legis regulantur. Sed quandoque occurunt casus insoliti in quibus littera legis, si servaretur, iret contra bonum commune, quod est finis legis, et id quod primario vult legislator. Hinc superior quedam justitia, a Graecis *enarratio* seu sequitas vocata, determinat quid tunc sit aequum operari juxta legislatoris intentionem; haec species justitiae dirigitur per gnomen. In applicatione insignem evidentemque causam exigit. Ex natura hujus interpretatio nis satis apparat rationem boni publici, non autem privat, esse regulam.

3^o Dividitur in *commutativam* et *distributivam* (II, 445): *commutativa* importat ut alteri reddatrum aequale pro aequali. Est generalis quando persona publica, puta iudex, decernit reddendum esse alteri aequale pro aequali; est justitia particularis, quando unusquisque privatus reddit aequivalens accepto, puta in venditione, emptione: *aequalitatem itaque servat in commutationibus et contrahitibus*. *Distributiva* respicit proportionem meritorum: est etiam virtus generalis vel particularis prout consideratur in persona publica, qua publica est, vel in unoquaque privato. Ad *commutativam* et *distributivam* revocatur *vindicta*: est pars justitiae *commutativa* (II, 445), quando vindicta publica pro tali delicto expresse vel tacite determinata fuit a lege: v. g. cum pactum initiat a republica cum judicibus de puniendis reis, servata proportione ad delicta, judices ex justitiae *commutativa* tenentur ad sortes sic puniendos. Dum poena restringitur ad arbitrium judicis, vindicta spectat ad justitiam *distributivam*. Idem dicendum de justitia *remunerativa*.

63. — *De partibus potentialibus*, seu de inferioribus partibus ac veluti speciebus justitiae. — Justitia, ut constat ex dictis, est virtus quae inclinat ad jus summum unicuique reddendum. Porro ille quem respicit justitia, potest esse vel Deus ipse, vel homines, vel etiam Deus et homines simul.

I. Justitia, prout nos inclinat ad reddendum Deo id quod illi debemus, dicitur *religio*, quae est vel *interna*, si in solis potentibus internis sistat, et tunc dicitur *animi de-
votion*; vel *externa*, dum externo corporis gestu manifestatur, et tunc involvit *adorationem, sacrificium, votum, etc.*